



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. CXXX. De profundis clamaui ad te Domine, &c. Carm. gen. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Qui maniplos colligit:
 Nec manum messor perustus,
 Prata tondens florea,
 Nec uiator ominatus
 Prospera est metentibus
 Sic precatus, Arua læta,
 Arua lauta & rosida,
 Hanc in annum & usq; in annos
 Hunc sequentes, numinis
 Vos fauor semper benigni
 Seruet, ornet, augeat.

PSAL. CXXX. De profundis clamaui
 ad te Domine, &c. Carm. gen. 8.

C Vrarum rapidis fluctibus obrutus,
 Arcanis animi de penetralibus,
 Audi uerba precantis,
 Clamaui pater optime:
 Audi uerba pater quæ tibi supplices
 Multo cum gemitu fundimus: applica
 Intentam bonus aurem
 Tristes ad querimonias.
 Si uindex tetricus facta nefariè
 Pœnis cuncta uelis plectere, quis sibi
 Tam confidit, acerbum
 Ut non horreat exitum?
 At tu non furijs tristis es asperis,
 Sed largus ueniæ, & munificus parens:
 Ut te iure colamus,
 Legum & iussa salubria.

Nam

Nam spes polliciti me recreat tui:
 Promissi q̄ fides fallere nescij,
 Et fiducia certa
 Mentem sustinet anxiam.
 Non sic præcipiti nocte uigil diem
 Obseruat roseum, non roseum uigil
 Phœbi sic auet ortum,
 Ut flagrat mea mens Deum,
 Securi in Domino figite spem pij
 Non duro ueniam supplicibus dare,
 Et prompto dare pressis
 Duro seruitio manum.
 Electi generis progeniem graui
 Pressam seruitio ex hostibus asseret:
 Et de morte redemptam,
 Noxis eximet omnibus.

PSAL. CXXXI. Domine non est exal-
 tatum cor meum, &c. Carm. gen. 28.

Si spiritu impotenti,
 Si lumine insolenti
 Elatus ambulauit,
 Si uirium mearum
 Fiducia superbus
 Despexerim minores:
 Si mentis arrogantis
 Sublime uectus alis,
 Maiora quàm liceret
 Sperare, cogitauit:
 Ni uota temperauit

Modestia